



## **Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1693**

§. 7. Formula pro iis, qui præcedente adulterio & fide data, matrimonium contrahere desiderant.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

§. 7.

Formula pro iis, qui præcedente  
& fide datâ, matrimonium contra-  
here desiderant.

1. Leander &c.

Discreto Viro Confessori. Pro parte Viri &  
Mulieris Latorum præsentium Nobis oblata pe-  
titio continebat, quod ipsi alias vivente adhuc  
alia Latoris Coniuge se carnaliter cognoverunt,  
sibi que fidem invicem dederant de matrimonio  
inter se contrahendo, si Latoris Uxor præmorte-  
retur, qua modo præmorta, neutro tamen La-  
torum in ejus morte machinante, matrimo-  
nium inter se contrahere desiderant. Cum au-  
tem, sicut eadem petitio subjungebat, impedi-  
mentum ex præmissis proveniens occultum sit,  
& nisi matrimonium inter Latores contrahatur,  
periculum imminet scandalorum, vel perseve-  
rantia in peccato; Ideo ad hæc vitanda, &  
pro suæ conscientie quiete cupiunt à præmissis  
de quibus plurimum dolent, per Sedem  
Apostolicam absolvi, secumque desuper dispen-  
sari. Quare supplicarunt &c. Nos &c. Discre-  
tionis tue committimus, quatenus, si estita, di-  
ctos Latores à quibusvis sententiis, censuris, &  
& pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa  
quomodolibet incurrerunt, adulterio, fide data,  
& excessibus hujusmodi absolvas hac vice in  
for-

for-



forma Ecclesie consueta, injuncta eis pro modo culpae pœnitentia salutari, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda. Demum dummodo impedimentum præfatum sit occultum, & nisi matrimonium inter Latores contrahatur periculum immineat scandalorum, vel perseverantiæ in peccato, eisdem Latoribus, quod præmissis non obstantibus, matrimonium inter se publicè, servata forma Conc. Trid. contrahere, & in eo postmodum remanere licite valeant misericorditer dispensare, prolem susceptam (non tamen ex adulterio) & suscipiendam exinde legitimam nunciando in foro conscientie &c. Ita quod &c. Nullis &c.

2. Præter supra notatas Clausulas, observanda est hæc: *Periculum scandalorum, vel perseverantia in peccato.* Sufficit ergo ad dispensandum una ex istis causis,

3. Forma dispensationis hujus formulæ est ista:

*Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento criminis ex adulterio, & fide data proveniente, ut illo non obstante cum muliere corrupta matrimonium publicè, servata forma Conc. Trid. contrahere & consummare, debi-*  
tum



tumque conjugale exigere, & reddere licite possis & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Pariter eadem authoritate Apostolica prolem susceptam, non tamen in adulterio conceptam, & suscipiendam, legitimam fore nuncio, & declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

4. Si dispensatio facta sit cum iis, qui cum occulto impedimento criminis contraxerunt dicitur in forma dispensationis: *Ut illo non obstante matrimonium cum tua putata conjugate contrahere, consummare &c.* Porrò aliæ formulæ circa impedimenta criminis non differunt, nisi in pœnitentiis injungendis.

§. 8.

*Pro eo, qui Consanguineam Uxoris, sive in primo, sive in secundo gradu cognovit.*

1. Quamvis super impedimento occulto affinitatis supervenientis, ad effectum petendi debitum conjugale, possint Ordinarii, aliique privilegium habentes dispensare; Si tamen recurratur ad